

Nachträglich habe ich das akademische Programm von G. Hermann bekommen (De loco Callimachei hymni in Delum et quibusdam epigrammatis, Lips. 1846.), der p. 11—13. folgende Herstellung vorschlägt:

*'Εσθλοῖς οὐ κενεὰ μόχθων χάρις· ἔργα δὲ χειρῶν
Γρώμας καὶ μύθων πολλὸν ἀφανδότερα.
Τοῦτος Ἀγεστράτου νίδις ἐν ἀστοῖσιν Ξενόφαντος
Καὶ ξείνοις ἀρετᾶς ἄξια πόλλ' ἔκαμεν.
Ἀρτίπαλ' οἱ ταῦταν νόστου χάριν εἰκότα θέντες
Ταῦτ' ἅπεδον κλεινῷ γοάμματα Πιερίδων.*

Hätte unser Epigrammatarius so geschrieben, es würde ihm nicht zur Unehre gereichen; allein dem Kritiker ist es nicht erlaubt, seinem Autor mehr zuzumuthen, als er nachweisbar vermocht hat. Wenn also im zweiten Vers ein *καὶ* eingeschoben und §. 6

ΑΥΤΑΚΑΙΕΥΚΑΕΙΝΓΡΑΜΜΑΤΑ

in *ΤΑΥΤΑΠΕΔΟΝΚΑΕΙΝΓΡΑΜΜΑΤΑ* geändert wird, so scheint mir dies zu weit gegangen. Eher würden wir zugeben, daß der Autor unseres Epigrammes „ineplus et stolidus arrogans“ erscheine (Hermann p. 12.) — obwohl wir diesen Vorwurf etwas hart finden —, als daß ein Kritiker es unternehme, nach eigenem Gutdünken den Autor selbst zu reformiren.

Halle, 1847.

August Mauß.

Zur Kritik und Erklärung.

Caroli Friderici Hermanni

Parergorum Fascic. III. part. 2.

(Cf. vol. V, p. 608 sqq.)

XXXI.

Terentii Andria quum aliis locis tum I, 1, 25 criticos exercitavit; ubi quum vulgo sic legeretur:

*Nam is postquam excessit ex ephebis, Sosia,
Liberius vivendi fuit potestas — nam antea
Qui scire posses aut ingenium noscere,*

Bentleius et numerorum et constructionis stibligini ita mederi aggressus est, ut et copulam *ac* ad finem primi versus adderet, et in secundi principio *libera* scribebat, quo facto simul etiam illud se lucrari putavit, ut incommodam comparativi *liberius* significationem eliminaret, quae iam antiquis grammaticis tantum negotii facessivit, ut Donatus vel gradum comparativum esse protinus negarit. Quippe, inquit, si nunc *liberius* vivendi potestas erat, etiam dum ephesus esset *libere* vivendi potestatem habebat; alqui hoc falsum, dum in metu agebat et sub magistro; vel hac igitur de causa illa forma eliminanda videbatur. At enim hanc rationem iam alii refutarunt, ut vir doctus in Misc. Obss. Amstel. T. III, p. 391 et Schopenius de Terentio et Donato, Bonn. 1821. 8, p. 6; neque adeo necesse est ut cum hoc eo confugiamus, ut Paphilum etiam inter ephebos aliqua libertate usum esse arguamus; sed simpliciter ad eam comparativi naturam redire licet, qua interdum, ut Nitzschius ait ad Plat. Ionem p. 59, *animum a contrarii cogitatione revocat*; nec si verbi causa Achille cochlea celeriore dico, huic quoque celeritatis laudem tribuo. Quaecunque enim, ut Platonis verbis ular, τὸ μᾶλλον καὶ ηττον recipiunt, non absolutam, sed relativam vim habent, quae prout accipitur eiusdem notionis et maximum et minimum gradum comprehendit paulatimque decrescendo vel in contrarium sui mutari potest, ut praecclare Grauerus in Zeitschr. f. d. Alterth. 1842, p. 30: *das Maximum und das Minimum der fides bleiben doch immer fides; aber die negative Seite verliert sich am Ende so weit vom Mittelpuncke, dass sie als das Gegentheil von dem erscheint was sie seyn sollte;* *) quod si vel maxime *liberius* maiorem libertatis gradum significat, non tamen solum liberum a servo distinguit, qui etsi omni libertate careat, tamen si omnino gradus libertatis statuere placet, etiam *minus liber* recte dicetur. De comparativo igitur salva res est; tanto magis autem laborant numeri, de quibus vereor ut aut Schopenii ratio, qui *vivendi* in duas syllabas contrahit, aut Francisci Ritteri machina, qui *liberius* trisyllabe pronunciat, Terentianae elegantiae conveniat; denique ne illud quidem duritie caret, quod aut copulam contra

*) Eadem causa est loci epist. Cic. ad Brut. I, 2: *magis mihi probatur severitas militum quam tua*, ubi frustra Marklandum *clementiam* desiderare monui in Vindic. latin. p. 40 et in Epimetro contra Zumptium p. 17, adeoque extra comparisonem usu venit, ut Famil. II, 1 *officium accusari pro inofficiositate*, Fab. III, 7: *cognosce aequitatem expostulationis tuae*, ubi Cicero tantum abest ut *aquam Appii expostulationem dicat*, ut eiusdem *iniquitatem* potius demonstratur sit.

libros in fine versus inseri aut constructionem ita institui nec-
esso est, ut verbis *liberius vivendi fuit potestas* pro apodosi
habitum a v. 28: *quod plerique omnes faciunt adolescentuli*,
novae sententiae initium capiatur. Quibus omnibus compre-
hensis haud scio an optima medela haec fuerit, ut integra
verba, in quibus difficultas cernitur, una cum praecedente
Sosiae appellatione, cuius nulla ratio appetet, pro glosse-
mate *) exturbemus, Simonisque orationem hunc in modum
continuemus:

*Nam is postquam excessit ex ephebis -- nam antea
Qui scire posses aut ingenium noscere etc.*

Liberius certe vivendi potestatem habuisse, qui ephebis excessissent, adeo constabat, ut hoc Sosiae narrari opus non esset, nec si maxime Romanis ignotum fuisset, sequentia: *dum actas metus magistri prohibebant*, quanquam de sententia ambiguum relinquebant: posterius demum, quum hae fabulae aut in scholis legerentur aut grammaticorum doctae sedulitati materiem praebarent, id ipsum, quod sibi quemque ex toto sententiae tenore colligere consentaneum erat, claris verbis enarrandum viderat Atque commodissime accidit, ut non modo apud Cic. invent. II, 23 verba *liberius vivendi fuit potestas* ab optimis libris absint, sed etiam de Orat. II, 80, ubi idem versus laudatur, *Sosiae* nomen non exstet; quod etsi in Rhetoricorum libris bis adiectum legitur, tamen ne sic quidem rationes nostras turbat, si quidem vel eodem modo quo reliqua illa verba a librario suppleri vel ab ipso Cicerone versus explendi causa adiici poterat, ut sequens Sosiae mentio haberet quo referretur; denique ne ad Ciceronem quidem incorruptum Terentium pervenisse necesse est.

*) [In initiorum in Terentianis fabulis versiculorum plura exstant quam plerique suspicuntur exempla. In prologos Heautontimorumeni et Phormionis illos irrepsisse, qui tanta interpretibus negotia facessivere:

*Duplex quae ex argumento facta est simplici
et Quem diceret, nisi haberet, cui malediceret
Guilelmus Ihnius vidit in Quaestionibus Terent. Bonnae editis a. 1843.
Ipso initio Adelphon defendi posse nego quae vulgantur:*

*Profecto hoc vere dicunt: si absis uspiam
Aut ubi si cesses, evenire ea satius est,
Quae in te uxor dicit et quae in animo cogitat
Irata, quam illa quae parentes propiti.
Vxor, si cesses, aut te amare cogitat e. q. s.*

Eiectis glossematis poetae haec tantum tribue:

*Profecto hoc vere dicunt: si absis uspiam,
Quae in te uxor dicit, evenire ea satius est,
Irata, quam illa quae parentes propiti.
Vxor e. q. s.*

F. R.]

XXXII.

Odysscae locus IV. 512 sqq. quot difficultatibus primum accedentem excipiat, qua solet diligentia Nitzschius exposuit, nec veteres se aliter expedire potuisse videntur, quam ut cum Androne (cf. Eustath. p. 1507) Aegisthi domicilium ad Cytheram insulam transferrent, quo scilicet Maleae mentione explicaretur; Nitzschius vero, quum hoc ferri non posse facile intelligeret, eo processit, ut aut integrum locum a v. 514 usque ad v. 520, aut certe v. 514—516 interpolatos iudicaret a sciolo, qui Agamemnonis appulsum ad locum ab Aegistho habitatum ad tempestatis potius vim quam ad Iunonis beneficium referre cupiens temere arrepto Maleae nomine locorum situm misere conturbasset. Neque enim apparat, quomodo, postquam poëta Agamemnonem Iunonis beneficio sospitem evasisse narravit:

οὐδὲ ποι ἔκφυγε κῆρας ἀδελφεὸς ηδὸν ὑπάλυξεν
ἐν νησὶ γλαφυρῷσι, σώσε δὲ πότνια Ἡρη,

mox eundem in eo fuisse tradat, ut Maleae promontorium attingeret, quo recto cursu domum rediens nunquam pervenire poterat: maiorque etiam difficultas in ea re cernitur, quod ab eodem promontorio, quo paene salvus pervenisse videatur, rursus in altum relatus eadem tamen tempestatis vi in extremum agrum coniectus esse dicitur, ubi olim Thyestes, iam huius filius Aegisthus habitaverit:

ἀλλ' ὅτε δὴ τάχ' ἔμελλε Μαλειάων ὄρος αἰπύ
ἴξεοθαι, τότε δὴ μιν ἀναρ πάξασα θύελλα
πόντον ἐπ' ἵχθυσεντα φέρεν μεγάλα στενάχοντα
ἀγρον ἐπ' ἐσχατιήν, δθι δώματα ναῖς Θυέστης
τὸ ποίν, ἀτάρ τότ' ἔναιε Θυέστιάδης Αἴγισθος:

denique parum intelligitur, quomodo inde quoque incolumis abierit ventoque retro verso domum venerit:

ἀλλ' ὅτε δὴ καὶ κεῖθεν ἔφαίνετο νόστος ἀπήμων,
ἄψ δὲ θεοὶ οὐρον στρέψαν καὶ οἰκαδ' ἵκοντο,

quum sequentia clare doceant eum prope ipsam Aegisthi habitationem descendisse ab illoque hospitio exceptum mox ibidem insidiis periisse. At enim proprius inspectus locus, ut mihi videtur, nulla omnino medicina, nedum tam violenta, indiget, modo hoc recognitus, quod nescio quomodo interpres neglexerunt, in proxime antecedentibus de ingenti illa tempestate agi, qua redeuntium Graecorum naves adeo dispersae sunt, ut Agamemnonis quoque accessio ad Maleam non ad rectum aliquem cursum, sed ad errorem referenda sit, qui illi maximam perniciem afferre potuerit, nisi lunonis beneficio naufragium in promontorio procellosissimo prohibere-

tur; haec igitur ipsa, ut videtur, navibns iamiam naufragium passuris procellam immittit, qua quamvis initio in altum reiecti Argivi mox tamen verso divinitus vento ad patriae fines referuntur ibique incolumes pedem in terra ponunt. Sic omnia recte procedunt: Iunonis beneficium Agamemnonem non tam domum reducit quam a naufragio servat, quali modo Ajax obierat; procella tamen ab ipsa immissa quamvis gementem eo refert, ut multo propius quam antea ad patriae fines accedat; denique ex hac quoque divino numine servatus ventoque secundo ad ipsam terram delatus patriam recuperatam salutat; neque ullo modo opus est ut Aegisthi domicilium in alium locum extra Argolidis fines transferamus, quos ipsos Agamemnonem attigisse sequentia docent:

ἢτοι δὲ μὲν χαιρόντων ἐπεβήσαυτο πατρίδος αἴης,
καὶ κύνει ἀπόμενος ἦν πατρίδα, πολλὰ δὲ ἀπ' αὐτοῦ
δάκρυα θερμά χέοντ' ἐπεὶ ἀσπισίως ἵδε γαῖαν:

nedum eo configiamus, ut cum Nitzschio καὶ κεῖθεν et ἡψ οὐρανον στρέψαν, ad redditum ex Aegisthi ἐσχατιῇ trahamus, quo nisi revera Agamemnon appulisset, nec speculator Aegisthi eius redditum nunciare nec ipse Aegisthus eum hospitio excipere potuisset. Immo haec adverbia ad θύελλαν spectant, quae illum rursus in altum reiectura videbatur, unde etiam μεγάλα στενάχειν dicitur, ut qui salutarem eius vim non intelligeret; haec ipsa tamen in naufragio tantum prohibendo cernebatur, neque ipsius ope, quamvis propius ad patriam relatus, ipsam terram attigisset, nisi alterum deorum beneficium accessisset, qui procellam in secundum ventum mularunt eoque facto naves ad ipsam Argolidis oram direxerunt.

XXXIII.

Duplicem Liberi patris cultum Athenis fuisse quum alii tum imprimis Boeckhius in praeclera disputatione Actis Academiae Berolinensis a. 1816 – 1817 inserta ita evicit, ut iuniorem sive Eleutherensem ab antiquiore Limnaeo sine ulla dubitatione distinguamus; nec minorem plausum ea Boeckhii suspicio tulit, qua Eleutherensem cultum eo maxime tempore Athenas migrasse statuit, quo Melanthus victo Boeotorum rege Xanthe et sibi regnum et Atheniensibus Oenoen ac Celaenas oppida Eleutheris vicina vindicasse traditur; mirum tamen nec ipsum Boeckhium neque quenquam eorum qui hunc secuti sunt eius loci meminisse, qui quum manifestissime ad hanc fabulam respiciat, exigua emendatione facta quicquid lucis ex insigni illo Boeckhii invento acceperit, eidem ita reddet, ut tunc demum certum illi antiqui scriptoris testimonium accedere videatur. Nimirum apud Nonnum Dionys.

XXVII. 301 sqq. Iupiter, dum Baccho filio suo socios ex deorum numero conciliare studet, Minervam inter alia hoc quoque argumento ad opem ferendam excitat:

αἰγίδα σεῖο τίνασσε, προασπίζουσα Αναίον,
σεῖο κασιγνήτον μελαναιγίδος, ὃς σεῖο πάτρην
δύσεται, ἔξελάσας Βοιωτιον ἡγεμονῆα·
καὶ μέλος ἀείσει ζωάρχιον ἀστός Ἐλευθοῦς,
πιστὸν ἀνενάζων Ἀπατονόριον νῦν Θυώνης,
οὗ μέτα δὴ φρύγα δύνθιδὸν ἀραχούσσονσιν Ἀθῆναι,
Αιμαῖον μετὰ Βάκχον Ἐλευσινίῳ Διονίῳ:

ubi modo Ἐλευθερίῳ pro Ἐλευσινίῳ restitueris, simul insinuem loci difficultatem sustuleris et omnia ad Boeckhii sententiam egregie direxeris. Eleusinum certe Bacchum hoc loco eo minus ferre possumus, quo clarius ipse Nonnus alio loco XXXI. 67 hunc quoque antiquiorem fecit, quem Iuno metuit ne novus Bacchus Semelae ex Iove filius exturbet honoribusque suis privet:

μηδὲ νέον Διόνυσον ἀνυμήσωσιν Ἀθῆναι,
μηδὲ λάχη γέρας ἵσον Ἐλευσινίῳ Διονύσῳ,
μή τελετάς ποστέροιο διαλλαξειν Τάρχον,
μή τάλαγον Δήμητρος ἀτιμήσειεν ὄπωρης. *)

Ἐλευθέριος autem non modo notum usitatumque Liberi patris cognomen est, verum etiam totius loci sententiae accuratius exactae apprime convenit. Respicit enim poeta illam fabulae formam, qua Melanthus in Xantho occidendo ab ipso Baccho adiutus esse tradebatur, qui caprina pelle tectus pone Xanthum apparuisse eaque re effecisset ut Xanthus a Melantho increpatus retro vertendo locum caedi daret; cf. Schol. Aristoph. Acharn. v. 146: Ξάνθος δὲ Βοιωτὸς προεκαλέσατο τὸν Ἀθηναῖον βασιλέα Θυμαίτην, οὐδὲξαμένον δὲ Μέλανθος ἐπιδημῶν Μεσσήνιος τὸ γένος ἀπὸ Περικλυμένον τοῦ Νηλέως, ὑπέστη ἐπὶ τῇ βασιλείᾳ μονομαχούντων δὲ ἐφάνη τῷ Μελάνθῳ τις ὅπισθεν τοῦ Ξάνθου τραγῆν τοντέστιν αἰγίδα μέλαιναν ἐνταμμένος. ἔφη οὖν ἀδικεῖν αὐτὸν δεύτερον ἥκοντα. ὁ δὲ ἐπεστράψη, ὁ δὲ παίσας ἀποκτείνει αὐτὸν: cuius fraudis memoriam si Athenienses instituto Ἀπατονόριον festo et μελαναιγίδος Διονύσου cultu propagasse fama erat, non in primis tantum versibus, verum etiam posterius, ubi Ἐλευθοῦς ἀστός Thyonae filium Apaturii nomine praedicaturus dicitur, idem facinus tangi consentaneum est. Atqui Ἐλευθοῦς ἀστὸν, quo duce Athenienses post Bacchum λιμναῖον sive antiquorem alijs dei cognominis laudes Phrygiis numeris cantabunt,

*) Fortasse legendum ὄπωρη: ne auctumni proventus, id est vinum Cereris canistra infamet.

quomodo Ilithiae civem faciam, quae alibi Ἐλευθοῦς nomine intelligitur (Pind. Ol. 17, 42; cf. Böttiger kl. Schr. T. I, p. 65), non habeo; vide igitur, ne commodissime Eleutherarum incolam interpretemur, sive Pegasum, qui maxime Bacchi sacra Eleutheris Athenas transportasse ferebatur, sive ipsum Eleutherum, hoc est totam Eleutherensium civitatem, quae si illius victoriae beneficio ex Thebanorum ditione ad Atticos transiit, velut captivitatis redimendae mercedem Bacchicas illas religiones cum Atheniensibus communicasse dici poterat. Nam quod Pausanias I, 38, 8. Eleutherenses οὐ πολέμῳ βιασθέντας, ἀλλὰ πολιτείας τε ἐπιθυμήσαντας παρὰ Ἀθηναῖων καὶ κατ' ἔχθος τῶν Θηβαίων ad Athenienses transiisse narrat, non impedit quominus Nonnus aut famam aut, quod in hoc poeta eodem reddit, speciem narrationis aliam secutus sit; qui si modo hoc acceperat, eodem tempore et Eleutherarum transitum et certamen inter Xanthum et Melanthum factum esse, facillime eo delabi poterat, ut idem oppidum, cuius transgressio fortasse litem de aliis locis conterminis inter Atticos et Boeotos moverat, ipsius demum litis praemium fuisse existimaret. Atque omnino haec eo minus ad unguem exigi oportet, quo verisimilius est totum hoc Xanthi et Melanthi certamen ad physicas potius quam historicas fabulas pertinere, ipsumque adeo Melanthum eundem cum Baccho μελαναιγίδι habendum esse, velut etiam Conon apud Phot. Bibl. p. 138 Bekk. non μελαναιγίδι sed Μελανθίδη Διονύσῳ festum institutum esse narrat *); eundem tamen sive Melanthum sive Melanaegidem Bacchum ut eundem cum Eleutherensi habeamus, et Suidas cogit, qui T. II, p. 521 claris verbis Eleutherum propter filiarum salutem τιμῆσαι Μελαναιγίδα Διόνυσον tradit, et illud confirmat, quod Eleutherarum origo apud Plutarchum Qu. Gr. 39. cum tempestatibus et procellis iungitur, quas ipsius μελαναιγίδος vocabulo declarari probabile est; cf. intpp. Aeschyl. Sept. v. 696; quod si vulgaris fabula Apaturiorum originem cum Μελαναιγίδος cultu Athenas introducto commisicuit, nihil obstabat quo minus Nonnus Apaturium quoque Bacchum ab Eleutherensi homine repeteret. Mira utique forma Ἐλευθὼ pro Eleutheris earumve ἀογηγέτιδι, quam Ilithiam suisse nemo memoriae prodidit, sed quum omnino nulla quantum quidem scio Ilithiae patria constet unde ἀστὸς ipsius repeti possit, inter ea oppida, quorum

*) Sunt etiam qui Bacchi auxilium prorsus omittant, ut Schol. Aristoph. Pac. 890 et Polyaen. Strategg. I, 19, ubi quod corruptissime legitur oraculum Xantho editum: τάξιν ἀπάτη ὁ μέλας φόνον ἔσχε Μελαινας, integrum fortasse sic fuit: φράξεν ἄναξ ἀπάτην, ἀπάτη μέλας ἔσχε μελαινας.

nomina poeta sic deformare poterat, multo certe maior probabilitas est Eleutherarum quam, quae Naekii sententia est (Opuscc. T. II, p. 189), Eleusinis, quae licet et ipsa ab Atheniensibus ita victa esse tradatur, ut ab eius incolis deorum religiones et ceremonias acciperent, hoc ipsum tamen sub Erechtheo potius multoque ante Melanthum Boeotique regis caudem ponitur, nec qui Eumolpum vel Musaeum Ἐλευθοῖς δστὸν intelligeret, aut ἀναρογίον Λιόνυσον immiscuissest aut φρύγα ἐνθμὸν pro Thracico poëtae tribuisset. His autem positis ne ipse quidem Bacchus, cui praeente Eleuthus cive Athenienses Phrygios numeros cecinisse dicuntur, Ἐλευσίνιος rectius quam Ἐλευθέριος appellabitur, quod cognomen sive ipsum ab Eleutheris ductum erat, sive ut Welckero placet (Nachtrag z. Trilogie p. 196 sqq.) suum potius oppido nomen imposuit, aptissime ab Eleutherensi cive Atheniensibus commendabatur; eidemque multo melius quam Eleusinio Iaccho illud convenit, quod μετὰ Λιμναῖον Βάκχον celebratum legimus; quod sive ad cultus originem retulerimus, eadem huius loci causa erit quae Thucydidis II, 15, ubi τὰ αὐχαιώρεα Ιονίσια, quae τῷ ἐν Λιμναῖς Ιονίσῳ agebantur, solis Eleutherensibus opponuntur, sive anni tempora mensiumque seriem respicimus, primarium certe Eleutheriensis Bacchi festum τὰ ἐν ἄστει Ιονίσια, Limnaea Anthesteriorum sacra subseculum est, Eleusinia utrique antecessisse constat.

XXXIV.

Cicero pro Murena c. 34 extr. ita disputat, ut *locum in circo amicis et tribulibus datum* ab ambitionis criminis liberare studeat; ubi etsi nonnulla excidisse videntur, quae transitum ad sequens caput pararent, eam tamen lacunam, quam v. c. Klotzius inter verba *haec homines tenuiores et a suis tribulibus vetere instituto adsequebantur*, reliquit, facili negotio expleri posse arbitror. Illud sane, quod Ernestius, Schützius, Orellius ex vett. edit. retinuerunt, nullo modo ferri potest *haec homines tenuiores primum nondum qui a suis etc.; sed primum* cur tollamus, nulla causa est, nec quae sequuntur adeo nihil habenda sunt, ut cum Beckio et Moebio eliminari potius quam ex velutae lectionis vestigiis emendari debeant. In codd. fateor parum subsidii est, quorum alii *nondum qui ea*, alii vel *nedum qui ea* exhibent; at quid obstat, quominus ex ipsis vulgatae ductibus eruamus *mox relicui?* Primum, inquit, in hominibus tenuioribus hoc concessum est, quibus nihil omnino invidiae habebat ditiorum sumtibus procurari unde ludos spectarent; mox tamen etiam alii hoc nacti sunt,

ut loca in spectaculis ab amicis tribulibusve acciperent, nulla horum invidia aut suspicione, quia vetus institutum erat. Quanquam haec fortasse leviora; gravior est totius loci auctoritas, cuius nescio quomodo Ritschelii diligentia oblita est, quum in Parergis Plautinis p. 223 omnino fieri potuisse negaret, ut civibus Romanis loca ad spectandum in ludis publice datis pecunia redimenda essent: *wo fände sich auch eine Analogie, dass für die Feste, Spiele und Belustigungen, mit welchen die Grossen Roms dem römischen Volke schmeichelten, dieses Volk mit seiner Privatkasse wäre in Anspruch genommen worden?* Quid igitur? si revera omnibus ita liber aditus patebat, ut pariter suo quisque loco gratis invento spectarent, quo tandem pacto vel ambitio vel liberalitas in ea re cerni poterat, si quis spectacula, hoc est loca ad spectandum tributim daret? quamvis facultatem habebat, ut, quod claris verbis Cicero narrat, viri prinarii in circo totas tabernas tribulum causa compararent? An circensibus quidem et gladiatoribus — hi enim *fori* mentione significantur, cf. Vitruv. V, 1, Schol. Cic. Divin. in Caecil. c. 15. quosque præterea laudat Osannus de columna Maenia p. 16 sqq. — concedit ut spectatorum loca venalia fuerint, nos tamen reprehensione digni, qui in explicando loco Plaut. capt. prol. v. 10 sqq. eandem consuetudinem scenicis tribuimus? Nam de illis aliunde quoque constat, quod nec Murenianae interpretes fugit, ut de gladiatoribus ex Plutarchi V. C. Gracchi c. 12: ἔμελλεν δὲ δῆμος θεᾶσσαι μονομάχονς ἐν ἀγορᾷ, καὶ τῶν ἀρχόντων οἱ πλεῖστοι θεωρητήσια κύκλῳ κατασκευάσαντες ἐξεμπίσθονται, de circensibus e Suetonii V. Caligulae c. 26, ubi *gratuita in circo loca* ita memorantur, ut alia non gratuita fuisse facile appareat; neve gratuita spectacula existinemus quibus ampliandis Festus p. 134 Müll. Maenium censorem *primum in foro ultra columnas tigna proiecisse tradit*, Vitruvius vetat *Maeniana superioribus coaxationibus collocari iubens, quae et ad usum et ad vectigalia publica recta disposita sint*; quod si ipse Ritschelius hac nos sponzionis formula provocavit, *si analogia spectaculorum pecunia redemtorum existaret*, iam nunc opinor erroris notam, quam nobis inurec conatus est, abunde excussimus. Ne tamen scenicorum saltem ludorum eam liberalitatem fuisse arbitremur, ut in his certe gratuitus omnibus ad quemcumque locum aditus patet, vel illud prohibet, quod primum theatrum, cuius exstruendi Romae periculum factum est, *a censoribus locatum esse traditur* (Liv. Epit. XLVIII; cf. Vell. Pat. I, 15. Valer. Max. II, 4, 2), quos hoc instituto non minus reipublicae vectigalibus quam spectatorum commodis prospexit probabile est;

nec si tunc severissimo senatusconsulto effectum est, ut *populus aliquamdiu stans ludos spectaret*, aut loca ad standum communodia aut ipsos qui his successerunt gradus subitarios gratis dari necesse erat, donec crescens ambitionis luxuries hos quoque munificentia sua comprehendenderet. Ciceronis enim aetate propter Murenianae silentium facile patior theatra, qualia Scauri et Curionis describuntur, ea quoque re priora superasse, quod qui ludos ederent eidem loca spectatoribus sua impensa pararent; ab initio autem opinor satis munificentiae erat, si quis fabulam emeret, scenam exstrueret, histriones conduceret, choregium ornaret, denique facultatem spectandi populo paeberet, qua ut universis fru licebat, ita commoditatem videndi audiendiisque sibi quisque prospicere debebat; quod si ne unum quidem argumentum exstat, quod clare prohibeat, quo minus in scenicis quoque ludis ad gladiatorum circensiumque exemplum loca venalia fuisse statuamus, vel eis exemplis, quae Ritschelii acumen aliter explicando elevare conatum est, pristinam auctoritatem reddere licebit. Poenuli certe locus, ubi servi monentur, *ne obsideant, liberis ut sit locus, vel aes pro capite dent, sin id facere nequeant, domum abeant*, multo simpliciorem explicationem habet, si *aes pro capiti dandum* ad vectigal theatrale, quam ad mercedem manumissionis retulerimus, qualem si maxime solvere voluissent, in theatro tamen eius rei locus non erat, saneque iniuste egisset, qui hanc tantum eis optionem relinqueret, utrum se in libertatem redimere an theatro exire vellent; utque scite Ritschelius eorum ineptias notavit, qui servis peculiariter in theatro vectigal pendendum fuisse ex hoc loco collegerunt, ita nihil vetat, ne pedissequos, quos ille probabiliter cum heris suis intrasse suspicatur, si intra caveam manere vellent, et ipsos aes pro loco debuisse arbitremur. Neque *dissignatores*, quos spectatores sessum duxisse idem prologus docet, gratuitis magis quam venalibus sedibus conveniunt, si quidem gratuita loca in circo certe primis occupantibus cessisse ex Suetonii loco laudato appareat; nec si maxime concedamus tesseras cavearum cuneorumque numeris notatas, quales ex imperatorum aetate supersunt, donari potius quam vendi solitas esse, eius temporis, quod Plautini prologi referunt, eandem condicionem fuisse ipsa *stantium* mentio patitur, qui in Captivis ut *ulti* sedentibus opponuntur. Nempe talia theatra, qualia ad Graecorum exemplum exstructa per caveas et cuneos distributa erant, a summo ad imum per gradus descenderunt, ut ne *ulti* quidem loco ad sedendum carerent, neque praecinctioves sive diazomata, quo Ritschelius eos qui sero venissent remittit, ultimis potius

quam mediis spectaculis conveniunt; si qui igitur extremi stantes memorantur, ad rudiorum theatrorum formam remittunt, quae pone sedilia venalia etiam standi locum haberent, idque quo fidentius etiam nunc de Captivorum loco statuam, ipse Ritschelius efficit, qui in sequentibus:

vos qui potestis ope vestra censerier,

assiduorum vel locupletium significationem capite censis oppositam mecum agnoscit. At si histrio se eius causa, qui inter ultimos standi tantum locum habeat, rupturum esse negat, locupletes autem reliquum accipere iubet, manifestum est illum, cui *non ubi sedeat locus sit*, pauperem esse, locupletes ubi sederent invenisse; quod nisi prorsus inepte standi sedendique discrimen cum censu poëta coniunxit, id ipsum, utrum quis in theatro staret an sederet, a re familiari pependisse necesse est, itaque ad veterem Mureti sententiam indignissime a Ritschelio repudiata revertimur, qui modo ne *histriones* immiscuisset, ceteroquin perspicacissime *subselliū quae-dam fuisse intellexit, pro quibus mercedula solvendu erat, si quis in eis sedere vellet.* Illud solum facile Ritschelio largimur, Prologum, qui certa sedilia memorat, a Plauto scribi non potuisse, cuius aetate populum *Romanum* etiam tunc stantem spectasse ex testimoniis superius allatis colligimus; noster tamen error ne hac quidem in re ullus est, qui solis Prologi verbis explicandis intenti vulgarem opinionem, qua ipsi Plauto tribuitur, nullo modo probavimus, neque viri amicissimi aequitatem agnosceremus, ubi hoc nobis exprobrat, quod explicatio nostra parum cum vulgari opinione conveniat, quam ipse nobis prorsus assentientibus pro falsa damnavit!

XXXV.

Inter difficillimos Iuvenalis locos merito habetur initium satirae octavae, quod vulgo secundum Pithoeum sic editur:

*Stemmata quid faciunt, quid prodest Pontice, longo
Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus
Maiorum et stantis in curribus Aemilianos
Et Curios iam dimidios humerosque minorem
Corvinum et Galbam auriculis nasoque carentem?
Quis fructus, generis tabula iactare capaci
Corvinum, posthac multa contingere virga
Fumosos equitum cum dictatore magistros;*

in iisdem tamen et lectionum varietates tam insignes exstant, et virorum doctorum consensus tanta corruptelae signa agnovit, ut in tralaticia verborum forma acquiescere vix possimus. Mitto Pratei conjecturam ab Orellio ex uno codice receptam

humeroque minorem, quae satis refutatur Silii exemplo III, 42
de Acheloo cornu privato :

— *frontemque minor nunc annis Acarnan;*

at ipsorum *humero* loco non exigui Codd. habent *nasumque minorem* Corvini, iidemque fere integrum versum 7 omitunt et v. 8 scribunt *famosos*, quibus omnibus obtemperavit Schmidtius in delectu satirarum Bielefeldae 1835 edito; postremo etiam qui v. 7 retinent, plerique tamen pro *contingere* aliud verbum *deducere* offerunt, tresque adeo, scilicet ne idem nomen exigo intervallo bis rediret, v. 7 *Corvinum* in *Fabricium* mutarunt. Quid igitur? recentiorumne editorum, Rupertii, Achaintrii, Heinrichii, inconstantiam sequemur, qui licet v. 4 *humeros* et v. 8 *famosos* praetulerint, eorundem tamen testium, quibus has lectiones debuerunt, in v. 7 servando fidem spreverunt? an alteram ex duabus recensionibus, quarum haec varietates clarissima vestigia exhibent, presse sequamur? an tertia aliqua via ostenditur, qua vel reicta auctoritate vetusta ad genuinam poëta manum perveniri speramus? Primam utique rationem iam Handius reiecit ad Stat. Silv. p. 207, cuius haec verba sunt: *equidem versum septimum non tantum bonum, sed maxime necessarium censeo, et facile intelligitur, quo librarii errore hic versus omissus fuerit in codice illo, e quo multi alii descripli videntur, non vero unde ipse nisi ab auctore profectus in reliquos libros venerit, neque ullum interpolationis indicium appetit;* utque concedam, per sententiarum tenorem abesse potuisse, neque adeo rara esse apud Iuvenalem interpolationis vestigia, ut non et hic versus ab aliena manu intrudi potuerit, causae tamen, quibus illi editores iudicium suum tueri conati sunt, ad tantam medelae atrocitatem non sufficiunt. Nam quod Rupertius Corvini nomen iteratum criminatur, eodem iure prius eiusdem exemplum damnes; *posthac autem, quod idem alienum ab hoc loco adeoque ineptum putat, ab utroque Webero satis explicatum est deinde, si transis ab hoc ad alios* *), *lectionisque varietas, qua contingere apud scholiastam a plurimorum librorum scriptura discedit, tantum abest ut suspicionem Rupertii confirmet, ut hunc ipsum versum mature extitisse glossematisque dignum habitum esse monstret;* Heinrichii denique ha-

*) De latinitate vocabuli, quam ipse Schmidtius Plautino exemplo firmavit, non est quod dubites apud poëtam, cui in hac metri sede vix alia particula suppetebat; sin maxime medela opus sit, praesto erit *posthaec* sive *posthac* quod etiam Plauto reddi maluit Schmidtius libriosque cum illo passim confudisse constat; cf. Giese ad Cic. divin. p. 329 et Hand. Turfell. T. IV, p. 495 et 507.

riolatio, qua eundem propter sequens *fumosos* appictum esse existimat, tota pendet ab explicatione *virgae*, qua imagines fuligine obsitas extersas esse putat, quasi hoc potissimum nobilitatis signum interpolatori in mentem venire potuerit, ut maiorum cereae identidem purgarentur; immo ne locum quidem habet lectio *fumosos* sine versu septimo, quia non intelligitur quomodo in *tabula generis* dictatores et magistri equitum fumo corrumphi potuerint! Codicibus vero qui huius causae arbitrium detulerint, magnopere cavere debebit, ne numerandis potius quam ponderandis suffragiis piaculum committat eosque duces sequatur, quorum caecitatem quum multi alii loci tum hic ipse propius examinatus abunde arguat. Et Rupertius quidem vel Heinrichius hoc ipsum declararunt, quum alias lectiones ab iisdem libris, qui illum versum omittunt, oblatos spernere non dubitarint; qui autem integrum horum auctoritatem amplexus est Schmidius hoc quoque exemplo ut plerisque aliis praestantiores recensionem deteriori indignissime posthabuit. Scilicet eadem haec codicum familia est, quae Sat. I, 161 verum pro *verbum*, III, 112 *aulam* pro *aviam*, IV, 96 *destinata* pro *festinata*, VI, 533 *caduceo* pro *cadurco*, VII, 8 *arca* pro *umbra*, ibid. 52 *cacoëthes aegroque* pro *et aegro*, VIII, 197 *natus* pro *minus*, IX, 40 *computat atque cavit* pro *ac cevet*, ibid. 100 *careas annona veneni* pro *cara est*, X, 73 *turba tremens* pro *Remi*, ibid. 310 *nunc ergo* pro *i nunc et*, XII, 11S *turbam* pro *turrim*, XIV, 2 *macnlam et rugam* pro *haesuram*, ibid. 67 *scrobis* pro *scobis*, XV, 25 *temetum deduxerat* pro *duxerat*, XVI, 29 *da testem iudex quem dixerit* pro *quim dixerit*, multaque alia manifesto et hinc inde ridiculo errore contra sensum adeoque contra metrum scripsit, cuique vel hanc ob causam etiam si ferri per se lectio aliqua possit, contra gravissima veteris scholiastæ codicunque Puteani vel Budensis Pitheique recensionem omnium ad hunc diem præclarissimam, obsequium merito recuses; nedum ubi ipsa verba curatius spectata Pitheoeanis cedere videantur. Nasus certe Corvini proxime ante *auriculis Galbam* *nasoque carentem* non intelligo quo modo ei probari possit, quem ipsius Corvini mentio bis deinceps iterata offendit; ut mittam nimis facetam synecdochen, qua pro Corvino denasato nasus deminutus inter maiorum imagines ostenderetur, nisi cum paucissimis nulliusque pretii libris ultraque recensione conflata *nasumque minorrem Corvinum* scribere placuerit; famosi autem cum *fumosis* comparati quam ieune et languide dicantur, ne Achaintrii quidem iudicium quamvis satis alioquin hebes fugit, cuius haec nota est: *vitiosa forte et certe insulsa haec lectio est, quapropter eam non retinuimus.* Quod si nihilominus, ut dixi *fumosos*

sine septimo versu stare nequit, ne huius quidem omissione illius recensionis bonitas commendatur. Ne tamen ideo Pithoeanam recensionem protinus probemus, primum illud prohibet, quod nobis quoque duplex Corvini mentio vix toleranda videtur, deinde mirum est, capaci generis tabula nihil nisi unum Corvinum iactari, quo si quis praeterea dictatores magistrosque equitum referat, et illud reddit quod modo monui in *tabula fumosorum* epitheton explicationem non habere, et *deducere* potius pro *contingere* scribendum erit, quia hoc vix sufficere videtur ad declarandum nexum, qui per ramos sive lineas in tabula genealogica ad imagines pictas discurrentes fiat; denique etiam illud suspicionem movet, quod versus 5 et 6 alibi transpositi sunt, ut in Chemnicensi sive Dresdensi, quem secutus Pinzgerus de versibus spuriis et male suspectis apud Iuvenalem, Vratisl. 1827. 4. p. 17 hanc medelam commendavit:

*Et Curios iam dimidios humeroque minorem
Fabricium; posthac multa contingere virga
Corvinum et Galbam auriculis nasoqite carentem?
Quis fructus generis tabula iactare capaci
Fumosos equitum cum dictatore magistros?*

Atqui *Corvinum* tantus codicum consensus tuelur, ut qui *Fabricium* pro altero substituat, nihil nisi ipsa corruptelae vestigia emendandique viam tollere videatur; *contingere* autem cum scholiasta vel contra reliquos libros ita tueor, ut *virgam* cum Doederlino Synon. u. Etymol. t. IV, p. 201 ad bacillum referam, quo gloriosus maiorum iactator imagines visentibus monstraverit; neque Pinzgeri transpositione multum lucramur, quum nec *fumosos* a *tabula* discernat et *Corvinum* epitheto privet, quo non magis quam Curii et Galba carere posse videatur. Immo ut dicam quod sentio, interpolata poëtae verba et ipse iudico, non tamen ut plerique septimum versum eiicio, sed quintum et sextum, quos eidem malae sedulitati tribuo, quae v. c. II, 21 ex uno versu duos finxit in codice Ulmensi:

*Clunem agitant Venerisque novo merguntur in actu,
Vituperans ego te ceventem, Sexte, verebor?*

iamque scholiastae tempore sextam Satiram tribus locis v. 348. 614. 631 binis ternisque versibus non profecto male factis ditaverat, ut si forte fortuna in nostros codices transissent, aegre ab ipsius poëtae versis distingui possent; postremo ne nostram quidem etiam alibi a manu interpolatrice immunem mansisse v. 112 docet, quem etiamsi Pinzgeri interpretatione tuaris, ipsa tamen verba *nam sunt haec maxima* interpretationem redolent, multoque opinor et concinnius et vividius oratio procedet, ubi recisis sutelis sic scripseris:

*Si quis in aedicula deus unicus; haec etenim sunt
Pro summis. Bellos Rhodios unctamque Corinthon
Despicias merito; quid resinata iuventus etc.*

Nostro autem loco vide quam apta omnia futura sint, si ipsum iterati Corvini vestigium persecutus ad dittographiam confugeris, ut haec sola initio poëta scripserit:

*Et Curios iam dimidios humeroque minorem
Corvinum, posthac multa contingere virga
Fumosos equitum cum dictatore magistros,*

quamque facile iam reliqua omnis corruptela explicetur, si quidem primum alias pro humeris nasum scilicet ut IV, 147 *Cattis Gelas*, vel VI, 643 saevae *Colchidi* torvam, item VII, 60 *moestae paupertati* sanam, nostraque ipsa in satira v. 39 *stemmati sanguinem*, v. 92 *Numitori Tutorem*, v. 146 *Laternano Damasippum*, v. 202 *faciei frontem*, v. 224 *cantui saltum*, v. 255 *pubi plebem substituit*, mox alias ubereum sententiam etiam longius persequendam ratus integrorum versuum par ascripsit, quibus pro septimo intrusis mox etiam *fumosos* in famosos mutari necesse erat, si qui autem utrosque pariter servarent, et ipsi facile induci poterant, ut *virga* ad *tabulae* lineas vel ramos relata *contingere* perspicuitatis causa in deducere mutarent; postremo ne sic quidem omnibus difficultibus sublatis exstiterunt, qui vel duplice Corvini mentionem emendando tollere vel transponendo efficere studerent, ne *capax tabula* solum Corvinum exhibere videretur, iidem tamen confusionem non sustulerunt, qua et vulgata lectio et omnes laborant, qui a stemmatis pictisque vultibus per currus et imagines ad tabulam generis et ipsam scilicet pictam redeunt. Nunc demum omnia sese ordine excipiunt: primum *stemmatum flexurae*, quibus illigata familiarum nomina in prima aedium parte collocata esse Seneca Benef. III, 28 testatur; deinde *picti vultus*, ad quos ipsos stemmata lineis discurrisse in atriis Plinius H. Nat. XXXV, 1 narrat; mox *currus ahenei* (Sat. VII, 125) statuaeque triumphales quamvis mutilae, quales Martialis X, 2. 10 *dimidios Crispi equos* ridet; nihil igitur restat nisi *fumosae* hoc est *veteres cerae*, quibus tamen non ut stemmatis generumque tabulis omnium maiorum imagines, sed eorum tantum continebantur, qui magistratus curules gessissent, ut vel hanc ob causam versui sexto nihil cum octavo vinculi intercedat.

XXXVI.

Plutarchi Moralia quae dicuntur nondum ita persanata esse, ut critica ope supersedere possint, nuper in nonnullis exemplis demonstrasse videmur; aliud nunc accedat ex

eo libello, quo Plutarchus Epicureum illud λάθε βιώσας gravibus neque iniustis argumentis impugnavit, c. 2: μᾶλλον δὲ διελοῦ καὶ διόρισον τίνι τοῦτο προστάττεις· εἰ μὲν ἀμαδεῖ καὶ πονηρῷ καὶ ἀνοήτῳ, οὐδὲν διαφέρεις τοῦ λέγοντος· λάθε καὶ πυρέττων, λάθε φρενιτίζων, μὴ γνῷ σε ὁ ἵατρός, ἵθι ἔτιψας ποι κατὰ σκότον σεαντὸν ἀγνοούμενος σὺν τοῖς πάθεσι· καὶ σὺ ἵθι τῇ κακίᾳ νόσον ἀνήκετον νοσῶν καὶ δλέθριον, ἀποκρύπτων τοὺς φθόνους, τὰς δεισιδαιμονίας, ὡςπερ τινὰς σφυγμοὺς, δεδιώς παρασχεῖν τοῖς νονθετεῖν καὶ λασθαι δυναμένοις. Sententia clara est, qua Platonicum illud enthymema exprimitur ex Gorgia p. 478: κάκιστα ἄρα ζῆ ὁ ἔχων ἀδικίαν καὶ μὴ ἀπαλλαττομένος . . . σχεδὸν γάρ πον οὗτοι τὸ αὐτὸν διαπεραγμένοι εἰσὶν ὥσπερ ἢν εἴ τις τοῖς μεγίστοις νοσήμασι συνεχόμενος διαπρᾶξαιτο μὴ διδόνας δίκην τῶν περὶ τὸ σῶμα ἀμαρτημάτων τοῖς ἵατροῖς μηδὲ ἵατρεύεσθαι, cf. Republ. IX, p. 591, Legg. V, p. 728; in verbis autem offendit secundum ἵθι, quod tantum abest ut ex priore explicacionem habeat, ut ab hoc ipso corruptelam suam traxisse videatur. Neque enim, ut Epicureus comparatur homini, qui aegrotum latere iubeat, ita eiusdem sequentia verba esse possunt, quibus alterum scilicet abire iubeat metuentem, ne vi torum morbum perniciosum et insanabilem castigaturis pandat; sed ad ipsum potius Epicureum sermone converso ἵθι scribendum est, ut haec sententia exeat: eodem modo, quo ineptus sit, qui febricitantem tenebras potius quam medicum quaerere iubeat, te quoque *scito*, ubi castigationem metuens perturbationes animi tanquam ulcera quaedam obscuritate presseris, vitiis tuis insanabilem et letalem morbum effectum esse. Mox quoque c. 3 vix dubito quin pro ἵν' ἀμνηστίᾳ νομοθετῆς ἀρετὴν legendum sit ἢν ἀμνηστίᾳ, proclivi confusione, cuius exempla habemus apud Plat. Charmid. p. 176: ἵν' ἐπάδειν παρέχῃς Σωκράτει, et apud Dinarch. c. Demosth. §. 1: ἵν' ἔξελεγχθῇ ὅτιοῦν εἰληφὼς παρ' Ἀγράλον: nisi forte scriptoris magis quam librariorum vitium esse videatur, ut in fab. Aes. 157, ubi nolim reponi ἐὰν πρὸ ἵνα τι χρηζεῖς αἰάγγειλόν μοι, quia hoc certum esse videtur, vulgarem Graecorum sermonem has duas particulias adeo confusisse ut vel Iliadis exemplaria iam ante Aristarchum ea labes invaserit. Nam quod Aristarchus versum Iliad. VII, 353:

ἔλπομαι ἐκτελέεσθαι, ἵνα μὴ δέξομεν ὕδε
corrigendo ἵν' ἢν sanari arbitratus est, nihilo plus prosecit
quam Ahrensius in Ritschelii Mus. Rhen. t. II, p. 174 simili
correctura Odys. III, 327:

λίσσεοθαι' δέ μιν αὐτὸν ἵνα νημερτὲς ἐνίσπη,
ubi si constructio particulam ἵνα respuebat, non magis ad-

mittebat ἵν' ἄν, in quo idem particulae usus manebat *); multoque rectius existimasse videntur, qui totum Iliadis versum eliminarunt, cf. Schol. Venet. p. 183: τὸ ἵνα αὐτὶ τοῦ ἐὰν παρὰ Ἡρωδιανῷ, παρὰ δὲ τοῖς ἄλλοις ὠβέλισται: hac tamen ipsa re confirmatur vulgaris usus, quem ne Aristophani quidem demi velim in loco notissimo Nubb. 1234: ἵν' ἀν κελεύσω γά σε, sicut ipse Godofredus Hermannus Opusc. T. IV, p. 133 in Ran. v. 175 pro ἐὰν συμβῶ τί σοι aliorum librorum lectionem ἵν' ἄν praeclulit, cf. et Porson. ad Eurip. Phoen. v. 89. Illud modo cavendum, ne vicissim scriptori relinquamus, quod in eiusdem confusionis proclivitate a libraiiis corrumpi poterat; eamque ut nostri loci causam esse malim, quum reliqua Plutarchi elegantia tum illud efficit, quod paulo ante praecedit ἵνα μηδ' ἀποθανόντες λάθωσι, significatu consilii, cui vix probabile est scriptorem diligentem eandem particulam cum alia vi tam prope subiuncturum fuisse. Difficiliora sunt quae sequuntur c. 4: εἰ δὲ ἐκ τοῦ βίου καθάπερ ἐκ συμποσίου φῶς ἀναφεῖς τὴν γνῶσιν, ὃ πάντα ποιεῖν ἐξ ἡδονῆς πρὸς ἡδονὴν λανθάνονται, ubi hac tantum tenus procedo, ut meliorem sensum fore arbitror, si pro λανθάνονται legi possit ἀνδάνει sive ἀρέσκει: certam vero medicinam habere videor c. 7, ubi plerique post συνόντες magnam lacunam hiare statuunt, ego omnia recte procedere polo, modo sic pergamus: ή δέ γε τῶν ἀνοσίων βεβιωκότων καὶ παρανόμων ὁδός χ. τ. λ. Vulgo enim legebatur ή δὲ τρίτη, quo facto desiderabatur secunda vel media quaedam via inter piorum praemia et scelestorum poenas; necessaria tamen talis viae mentio omnino non est, neque quicquam lenius esse existimo, quam ut solam particulam γὲ pro nota numerali habitam tertiae illi viae originem dedisse statuamus, praesertim quum notis numerorum ordinalium finalis syllaba passim ascribi solet, cf. Bast comm. palaeogr. p. 851.

*) Inauditum dicit Ahrensius ἵνα post λασσοθαῖ similisque significationis verba; contrarium docebit Demosth. Cor. §. 155: καὶ ἀξιοῦν ἵνα βοηθήσῃ τῷ τε Ἀπόλλωνι καὶ τοῖς Ἀμφικτύοσι. Alia quaestio est, num solum ἵνα ante νημερτὲς ultimam producere possit; at hanc quoque sufficienter solvit Mehlhornius in progr. Ratibor. 1843.